

*seper Joseph Daath edit. Pragensis in 4. fol. 58. p. 2.* qui sequi se Gemaram Menachoth fatetur, & crateres tectos delineat, simulque mentem Jarchii interpretatur, cuius exempla Manuscripta multoties allegat. Similiter Jacobus Kapbelius in *Omeck Halacha* edit. Cracov. in 4. f. 47. p. 1. crateres tectos exhibit ad mentem veterum, & simul quomodo amygdalato opere confecti sint, oculis subjecere conatur. Quod majus est, in arcu triumphali Titi Vespasiani qui candelabrum sacrum usurpavit oculis, & Romanum deportari jussit, crateres tecti reperiuntur, cujusmodi immago in *Vitapando* occurrit, ex quo suam fecit *Salomon Van Til.* in libro de *Musica veterum in primis Hebraeorum Belgico idiomate Dordraci* in 4to edito p. 481. Nec ab hac sententia alienus Försterus est, qui in *Dictionarii Hebraici* P. 127. edit. Basileens. scribit גביע esse scyphum sive poculi genus a forma colliculi sive galeri, volebat dicere, quia quasi galero tegebatur, quia vox עכבר notat collem, qui est instar galeæ vel galeri. Cum quo consentit *Johannes Lorinus* in *Commentar. in Levitic.* ed. *Lugdun.* in fol. 219.

## §. 4.

Aliæ imagines pocula poculis inserunt, quasi tria & tria pocula candelabri sibi invicem insererentur, quæ imagines nequidem responsione dignæ sunt, cum phrasī Hebreæ repugnant.

## §. 5.

\* Licer autem candelabrum sacrum in austro poneretur, tamen rami ejusdem inter Iustrum & aquilonem conspiciebantur. Ita enim candelabrum sacrū delineat *Zom Tobb Lip-*